



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1558. usque ad annum 1560

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1771**

**VD18 90118588**

§. 11. Flandri hanc immutationem sinistre interpretantes.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66800](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66800)

antiquas Episcopales Ecclesias, ex novis Sæcul. XVI.  
A.C. 1559.  
 vero Audomarum, & Namurcum sub-  
 jecit: Trajectensi vero Archiepiscopali  
 novas sedes Episcopales Harlemensem,  
 Deuentriensem, Leovardiensem, Gru-  
 ningensem, Middelburgensem attribuit,  
 & novam Mechliniensem Metropolita-  
 nam novis Episcopatibus Antwerpiensi,  
 Gandaveni, Brugensi, Iprensi, Bu-  
 scoducensi, Ruremundensi præesse vo-  
 luit: insuper Pontifex ex tribus duas  
 partes redituum de Teruano Episco-  
 patu, quem Carolus V. Cæsar deva-  
 staverat, Audomarensi, & Iprensi Ec-  
 clesiis in Belgio tum attribuit, & reli-  
 quam tertiam partem Bononiensi Eccle-  
 siæ in Galliis adscripsit, ibidemque Episco-  
 palem Sedem pariter instituens, ean-  
 dem velut Suffraganeam Rhemensi Ar-  
 chiepiscopo subjecit. Ceterum hujus  
 mutationis a Papa obtinendæ ratio ob-  
 tendebatur, quod raræ in ea regione  
 Episcoporum Sedes ab initio essent, eo-  
 quod tunc ea non adeo frequentaretur,  
 cum vero nunc oppidorum, & hominum  
 numero florentissima esset, hinc ad tan-  
 tam messem colligendam operariis plu-  
 ribus opus foret.

## §. XI.

*Flandri hanc immutationem sinistre  
 interpretantes.*

S 3

Flandri



Sæcul. XVI.  
A.C. 1559.

*Onuphr. l. c.*  
*Thuan. hist.*  
*l. 22.*

Flandri novorum Episcoporum creationem in sinistram partem acceperunt: quippe non tam propter Dei gloriam, ac regionis utilitatem a Pontifice eam novorum Episcoporum creationem factam interpretabantur, sed id factum dicebant, ut durum servitutis, atque adeo inquisitionis jugum per illos veluti inspectores liberis cervicibus imponeretur, in qua etiam suspicione illos magis adhuc confirmabat Pontificis Bulla, in qua Paulus IV. hujus innovationis causam allegabat sequentem, quod in Belgio, cum illud omni fere parte circum, & quasi obsessum sit a schismaticis populis, propter assiduas sectariorum infidias, dolos, fraudes, & pravas doctrinas catholica fides, & animarum salus summopere periclitaretur, nisi saltem novi, ac vigiles animarum Pastores constituerentur. Præterea extra omne dubium est positum, quod Philippus potissima ex causa tantopere propensum ad pacem animum exhibuerit, cum persuasum illi esset a suis, quod tunc, si diutius bellum inibi traheretur, contingeret, ut paulatim per licentiam, quæ semper major in bello esse solet, negligeretur civilis administratio, atque ex Germanorum, quorum auxilia erant necessaria, frequenti, ac assidua conjunctione sectarum contagio inter Belgas ferperet.

Hoc



Hoc timore permoti Flandriæ Proceres huic malo, priusquam altiores radices ageret, obviaturi arcto fœdere sese conjungebant, præprimis decernentes, quod nisi Hispani milites e Belgio excederent, haud ultra tributum pendere velint: postea novæ sectæ erroribus favere cœperant, unde omnes, iique gravissimi, quibus Belgium exagitabatur, tumultus oriebantur, pro ut in Historiæ nostræ progressu recensēbimus.

## §. XII.

*Paulus IV. morbo correptus ac hydro-  
pisi laborans.*

Attamen tot anxietatis curæ, fastidia, ac tumultus summum Pontificem, aliunde octoginta quatuor ferme annorum senem adeo deprimebant, ut citato gressu ad sepulcrum contendere videretur: nam præprimis hydropisi laborare cœperat, quo morbo paulo post magis, magisque invalescente, cum de salute ejus penitus conclamatum esset, extremum vitæ suæ diem propius instare cognoverat: quapropter die decima quarta Augusti Cardinales ad suum cubile accersiri jubens, moriturus licet, ac hiulcis vocibus, admirabili tamen eloquentia, & sana adhuc mente illos ita alloquebatur: „Diutius vixi, quam spe-

*Thuan. l. 23.  
Onuphr. l. c.*